IOSEPHUS MEZZOFANTUS [MICHELE FERRUCCI]

Michele Ferrucci

IOSEPHVS MEZZOFANTVS

Dono ex officina Nistriana

IOSEPHVS MEZZOFANTVS

I. IOSEPHVS CASPAR MEZZOFANTVS, sanctae Ecclesiae Romanae Presbyter Cardinalis titulo Honuphrio, Πολύγλωττος ubique gentium celeberrimus. Hic Bononiae humili loco, decimo quinto kalendas Octobris anni millesimi septingentesimi septuagesimi quarti ortus est, Francisco Mezzofanto et Iesualda Ab Vlmo parentibus. Iam inde a puerili disciplina, quum peracri celerrimoque ingenio et memoria rerum verborumque firmissima polleret suosque condiscipulos in doctrinis longe antecederet, qui quantusque evasurus olim esset praemonstrare visus est.

II. A Ioanne Baptista Respiglio presbytero e sodalitate Philippiana, viro pientissimo, prolixa caritate susceptus adsiduaque cura provectus, praeceptoribus usus est doctissimis, quibus Bono-

a Bibliotheca eiusdem Archigymnasii munus illi demandatum est.

III. Europa in pristinum statum anno millesimo octingentesimo decimo quarto redacta, magisterium ipsum, quod per aliquot annos publice abolitum fuerat, graecis litteris tunc adiunctum, libens recepit. Ab anno subsequenti, quo Pontifex maximus in veterum provinciarum possessionem immissus est, sibi delatam insuper Bibliothecae praefecturam, a Pompilii Pozzetti, sodalis Calasanctiani, polyhistoris praestantissimi decessu, munifice sapienterque gessit. Illum praeterea in Collegium iurisconsultorum Leo duodecimus Pont. Max. anno millesimo octingentesimo vicesimo quarto singulari honoris significatione adlegit.

V. Anno millesimo octingentesimo tricesimo primo Aemiliae universae, Piceni et Vmbriae tumultuosa seditione Austriadarum infestis copiis omni furoris impetu irruentibus repressa, Bononiensibus legatis ad Gregorium decimum sextum Pontificem Maximum recens creatum missis, ipsius beatissimi principis voluntate, adnumeratus est. Praeclaris huic virtutibus, prudentia, consilio, doctrinae copia, pietate et incredibili

praesertim populorum cuiusque prope regionis aetatisque linguarum scientia usuque se mirifice probavit. Atque is continuo inter antistites domus pontificalis ac intimos cubicularios cooptatum in Collegium Canonicorum Basilicae Liberianae adscivit: post neque ita multo Bibliothecae Vaticanae praepositum et in Vaticanae Basilicae Canonicorum Ordinem translatum Romana demum purpura, insignium meritorum praemio, bonis omnibus gratulantibus, plaudentibus, pridie idus Februarias anni millesimi octingentesimi tricesimi octavi decoravit: praecipuis exinde Catholico nomini tuendo, propagando sacris consiliis adscriptum, sacro consilio institutioni publicae adcurandae ad ultimum praefecit.

VI. Magnis rerum conversionibus anno millesimo octingentesimo quadragesimo octavo in Italia factis, Austriacaeque servitutis armis repellendae spe, post varios belli eventus, in irritum cadente, quum Pium nonum Pontificem Maximum, sede sua relicta, Caietam tamquam extorrem una cum plerisque Patribus Cardinalibus profectum vidit, acerbissimum sane cepit animo dolorem. Quo in dies prostratus, accedentibus

satis diuturnae aetatis incommodis, morbo correptus est, quo sensim ad interitum gliscente, pio sanctoque exitu ad superos emigravit postridie idus Martias anni millesimi octingentesimi quadragesimi noni. Nullo elatus funeris apparatu, ita sororis eius filiis iubentibus, in aede tituli sui, ubi et ossa adquiescunt Torquati Tassi, rite conditus est.

vii. Vir enimvero summis laudibus in omne aevum praedicandus, quod unus fere post hominum memoriam omnigena eruditione excultus et plurimarum gentium sermones ad miraculum edoctus, eoque nomine illustrem toto orbe famam adeptus, a magnis imperatoribus regibusque certatim expetitus, atque ad amplissimos Ecclesiae honores nullo prorsus ambitu evectus, nunquam tamen intumuit, nunquam de se nisi demisse verecundeque sensit. Omnibus gratificandi studio flagrans, in egenos calamitososque opem eius implorantes supra modum census pecuniae liberalis, cunctis virtutibus, quibus sacerdotem prae ceteris ornari decet, ad supremum usque diem in exemplum enituit diu gloriantibus quibuscumque vel propinquitatis, vel amicitiae, vel officii aliqua cum illo necessitudo intercesserit.

VIII. Liborius Veggettus praeses Collegii philosophorum et philologorum Archigymnasii Bononiensis, idemque in Bibliothecae praefectura Viri Eminentissimi successor usque ab anno millesimo octingentesimo tricesimo octavo, quum effigiem eius marmoream in aula eiusdem Bibliothecae sumptu suo exornata pridem dedicaverit, patroni et magistri amantissimi incomparabilis memoriam hisce quoque litterarum monumentis, perpetui studii sui gratique animi testandi caussa ob eximia in se conlata beneficia, posteris commendandam curavit, anno vertente ab eius obitu decimo secundo. Haec omnia Michaël Ferruccius, Mezzofanti et ipse primum discipulus, mox a Bibliotheca Bononiensi in annos plures adiutor, Doctor emeritus eiusdem Collegii philosophorum et philologorum, tum ut roganti collegae veteri et amicorum suavissimo obsequeretur, tum ut tanti viri de se pariter egregie meriti piis manibus quasi inferias et iusta persolveret, Pisis, ubi latinarum litterarum et archaeologiae magisterio, item Praefecti Bibliothecae munere in Lyceo Magno iamdiu fungitur, prona voluntate libentique animo perscripsit.

346.